SVMMOS HONORES

A

SACRA REGIA MAIESTATE

VIRO

PERMAGNIFICO GENEROSO MAXIME

STRENVO AMPLISSIMOQVE DOMINO

DOMINO CAROLO CHRISTIANO LANGIO

RRAECONSVLI

OFFICII PVPILLARIS PRAESIDI ECCLESIARVM CVRATORI PRIMARIO

PROTOSCHOLARCHAE

ET H. T.

BVRGGRAVIO REGIO

MAECENATI OPTIMO

CLEMENTISSIME DELATOS

EOSDEMQVE

DIE II. APRILIS A. R. S. MDCCLVI.

AVSPICATO CAPIENTI

DEMISSISSIME GRATVLANTVR

PIERIDES ELBINGENSES

OPERA

IOA. DANIEL. HOFFMANNI

CONRECTORIS ET P. P. O.

ELBINGAE, TYPIS NOHRMANNI.

Non eſt artis opus, BVRGGRAVIE, aemula
Laudes ferre TVAS, Caſtalidum chely:
Eblandita pudet texere carmina;
Fulget nuda coloribus

Virtus. Lampade non indiget ignei
Lux ſolis: facies verſicolor facit
Turpem, cui dederat forma venuſtior,
Fuco non renitens, decus.

Quem Pallas genuit, docta fouet Themis,
Immenſis opibus quem Sapientia
Ditat; nae ille, ſuis muneribus nitens,
Longe pulchrior eminet.

Nunquam velificat blanditiis ſuis,
Cunctis vt placeat: totus amabilis,
Liuor vel tacitis vritur ignibus,
Qui lucent palam in optimo.

Excelſo poſitus culmine, ciuibus
Se ſentit ſimilem; quos, opus eſt, regat,
Ne commune bonum, ſacrilega manu
Conuulſum penitus, ruat.

Idcirco locuples dotibus inclytis;
Expromit faciles, haud licet expetat
Preſſus fraude mala: ſponte ſua vigil
Praeſtare auxilium probis.

Fruſtra nequities ſollicitat dolo,
Quem nunquam ſtimulat ſaeua fames opum,
Aequus diribitor iuſtitiae fugit
Quidquid labis inuritur.

Nec mentis premitur rebus in arduis
Robur: ſufficiunt herculeae impigro
Vires, vt valeant, cum populum regit,
Molem ferre domeſticam.

Rebus Dardanidum clade labantibus,
Aeneas potis eſt, relliquias feris
Flammis eripere; & conſilio graui
Sedes ſtare nouas iubet.

Fatorum rabidos ſuſtinet impetus
Auguſtus, reparans Romuleas opes:
Audax, compoſitis, turbine, fluctibus,
Concitis, caput extulit.

Ilex alta petit, vertice prominens,
Quod nodoſa valet, flante, reſiſtere,
Vento, & fulguribus tacta vibrantibus
Exiles tegit arbores.

Inconcuſſa ſtabit fluctibus obuia
Rupes: duritie celſa cacumina
Montis non trepidant, dum furit horrida
Tempeſtas, quatiens iuga.

Et ſi terra tremit, ſorbet hians aquas,
Vrbes ſtrage ruunt, ruderibus micant
Ignes, & rapidis pinguia pabula
Flammis continuo flagrant;

Stat Rex intrepido pectore, coelitus
Munito, ut ſociis terrifici mali
Sit præſto, & miſeros ſtrenuus alleuet,
Communem miſerans vicem.

Quam felix populus, quem regit arbiter,
Cui pectus placidum, mollia viſcera,
Quem funeſta mouent damna dolentium
Duris caſibus anxie.

Verſat ſollicitans cura per omnia
Obfirmatum animum, cui nihil arduum,
Quod vis ingenii proſpicit acrius
Et quod conſilio leuat.

Hæc ſunt Palladii commoda muneris;
Mens edocta graues quam ſtudioſius
Artes, mirificum ſubſidium parat
Quicquid ciuibus vtile.

Clauſtris fraenat aquas, aggeribus vagos
Vallatos fluuios comprimit, & iubet
Arcto ſtare loco, ne careant ſuis
Gnaui fructibus incolae.

Vt lucroſa vehunt agmina nauium!
Fidens non metuit fluminis oſtia
Remex, portat opes, viſere geſtiens
Campi florida germina.

Tellus foeta tumet, multiplicans ſata,
Sudore agricolae, quem didicit ſagax
Huius conſilium, parcere ſumtibus,
Et proferre opulentiam.

Illius ſtudio moenia & atria
Surgunt, conſpicua fronte nitentia:
Nulla parte ſui dedecorant domos,
Vrbis praecipuum decus.

Et natura nouis ſtringitur artibus,
Explorata viro; ſed magis arduum
Diſtractos animos iungere ciuium,
Quosquos diſſociat furor.

Hoc eſt artis opus: non pigra lenitas
Haud ducit rigidis, indociles regi,
Fraenis; ſed tumidos ponere ſpiritus,
Mentes, ſponte ſua, docet.

Manſueſcunt animi, Palladis artibus
Nutriti: placidos acribus incitat
Virtus calcaribus, quas ſtabili iubet
Doctus ſtare loco integras.

Nae talis STATOR eſt; publica fauſtitas
Hoc innixa viget: flore magis nitet
Exoptata ſalus: laetior omnium
Splendeſcit facies diu.

Iamiam macte TVIS laudibus, OPTIME
PRAECONSVL: meritis ſurgit adorea:
Surget fertilior, quo minus improbus
Mentem debilitat labor.

In TE praeſidium collocat optimus
Ciuis, TE celebrat delicias ſuas;
Hoc TE, quodue magis, munera NVMINIS,
Cana & gloria ſoſpitent.